

1381 commoda ademerunt, pallia, culcitrae, stramenta, popinæ usum. Mulieres, quæ pie illis ministrabant, abire jussæ, ac vetitæ ministerii causa eo venire: panis cum modica aqua in cibum cœptus est dari, nec ad satietatem facturus. Sed civitatis natura statim ad clementiam recurrit: omnia quæ miseris adempta fuerant, recentiore decreto sunt restituta.

*Tres Gen
nuersum
triremes per
occasione
Venetiis da
mna infi
runt.*

Dum hæc domi & in continentis ora geruntur, tres Ligusticæ triremes quatuordecim Venetorum navigia vino onusta in Pisauri portu oppressere: negociatores ad id aliquot in suburbanis tectis intercepti. Combustis navibus, inde repente profectæ, quicquid littoris est a Pisauro Clodium usque, cursu perstringentes, multa circa portus & fluviorum ostia Veneto nomini damna intulerunt: quinquaginta onerariis, quarum viginti tectæ fuerunt, captis, Anconem concessere: hinc statim, ne subito aliquo Venetorum accessu opprimerentur, Jaderam transmisere. Et quia fama erat, Ligusticam classem per eos dies supplemento vehementer auctam, essetque interim Zenus procul domo cum navibus, veriti Patres, ne quis subitus hostium incursus in urbem fieret, dant sedulo operam, ut portus adhuc novo opere muniretur: decernunt ad id castra ad Nicolai fanum, quod in littore est, accersitis, quæ reliquæ erant ex Mestra copiis, quarum nullus ibi post Taurisii deditioinem amplius erat usus: stabant ad hæc naves longæ octo ad subitos casus paratæ, quibus Nicolaus Michael præterat. Taurisina obſidio nihil interea remiserat, sed quotidie potius novo milite hostis copias augebat. Earum imperium erat penes Arcuanum Bucecharinum, Principis fororium. Quod ubi Liopoldus accepit, paucis diebus post Taurisium a suis receptum, cum decem millibus lectorum equitum ad Cunianum tumultuose confedit. Ferunt præter multos illustres viros, ad quadringentos equestri dignitate donatos in ipsis castris fuisse. Arcuanus, auditio barbari adventu, continuo misit in castra, qui cum eo pauca suo nomine ageret. Sed nuncius non modo non auditus; verum ne admissus quidem ad conspectum Ducis:

*Liopoldus
cum decem
millibus
equitum in
Italiam ve
nit.*